

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.

EXERCITATIONIS PHILOLOGICÆ
DE
MESSIA, AGNELLOS
IN BRACHIUM SUUM CON-
GREGATURO, INQUE
SINU SUO GESTATURO
AD ILLUSTRATIONEM.

ESAIÆ XL. v II.

SECT. III.

QUA
AD

EXAMEN PUBLICUM


d. XXIV. SEPT: INCHOANDUM,
HUMANISSIME INVITAT

HERMANNUS BEISMANN,

Schol. Reg. Frideric. Rector.

ba

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Typis SIGISMUNDI GABRIEL. ALEX.



§. I.



Lterum igitur; quod in agnellos Mes-
 sias collaturus esset, beneficium est,
 quod eos *in sinu suo gestaturus esset*: ita
 enim prosequitur divinus Vates:
 יבחי קו ישה *Septuaginta*, ut vulgo vo-
 cari solent, *Interpretes* verba haec in
 Versione sua plane praetermiserunt:
 vel quod ea in codice suo non inve-
 nerint; vel quod per incuriam & prae nimia festinatione
 transilierint, cujus neglectus non rara in illis subinde no-
 tare licet vestigia. Potuit tamen etiam fieri, ut ab Inter-
 pretibus quidem versa, sed a describentibus omissa & in-
 super habita sint: Quicquid sit, *Aquila* certe & *Symmachus*
 ea in codicibus suis & invenerunt, & illorum omnino rati-
 onem habendam esse duxerunt; vertunt enim: *ואי ען*
טו כולתו אטז בראשן. Nec in diversum hic abit *Chaldaeus*
Paraphrastes habens: *יבחינה מסובר וכיבין*, ut liquido
 appareat a Codicibus aetatis illius, saltem eo, quo in in-
 terpretando usus est *Uzielides*, Hebraea verba non exu-
 lasse. Et quid opus est multis? Obscurum sane ingenii
 aciem intendenti, & rem ipsam examinanti accuratius,
 esse non potest, quantum verba haec, si suum tueantur lo-
 cum,

⋈

cum, ad illustrandam optimi Pastoris erga tenellum grecem curam, & concinnitatis habeant & gravitatis. Quod ut in clariore ponatur luce age, ipsa nunc verba accuratiori ponderemus trutina.

§. II.

קִיִּי quod semel quoque *Proverb.* scil. XVII. 23. sine jodscriptum invenitur, non pauci primitivae vocis habuisse videntur loco, radicis, e qua prognata fuerit, ne verbulo quidem facta significatione. *Schindlerus* ad inusitatum קִיִּי refert, aut sub eo saltem ponit, ac si ab eo derivandum esse existimet. Nec desunt sane exempla, in quibus media vau in derivatis in jod transit: & praeterea elementa haec alioqui inter se facile permutari satis superque notum. *Avenarius*, ut in eiusmodi hufus aliquando plus justo propensior, vocem nostram cum radice קִיִּי conferendam esse monet: quod nec significationis, quae satis remota, nec analogiae, quae exigua sane, & fere nulla, admittit ratio. Unde enim, ut illud nunc primum urgeam, unde, inquam, in medio jod loco koph? Unde porro, quod in affixione nunquam tertiae literae inscriptum reperiatur dages? quod tamen, si voci קִיִּי cum radice קִיִּי tanta intercederet cognatio, inter tot exempla vel in uno facile fieri potuisset. Rectius *Hottingerus*, *Opitius*, *Stockius* ab *Arab:* קִיִּי, quod iisdem notantibus, circumdandi, cingendi significatum obtinet, inflectunt. Generalis enim vocis קִיִּי significatio est, ut eam sive corporis, sive vestis, sive alterius cujuscunque rei, designet partem, quae, quod in eam conjicitur & infertur, circumdat, continet, fovet ambituque suo complectitur. Hinc & *i. Reg.* XXII. 35. de concavo
)(2 cur-

currus, in quod sanguis Achabi, ab aliquo Syrorum fortuito sagittæ ictu trajecti, effusus est, adhibita legitur. Et eandem ob causam non male a *Septuaginta Interpretibus* alicubi per *καίλαμα*, item *κυκλος*, quae concavum & circum significat, transfertur, videlicet apud *Ezechielem* XLIII. 15. 17.

§. III.

Specialius tamen & frequentissime omnium eam corporis humani significat partem, quae inter duo brachia ad complexum usque femorum protenditur. Superius, quod brachiis utrinque concluditur, Latini sinum, inferius, quod intra femorum continetur complexum, iidem gremium appellant. Utramque Graeci communi nomine *κολπον* vocant, ita tamen ut superiorem partem, quae brachiis cingitur, eo potissimum nomine expriment. Atque hac voce in transferendo Hebraeo פִּיּ ubique fere *Alexandrini* utuntur *Interpretes*. *Chaldaeus Paraphrastes* & hic, & alibi aliquando, vocem פִּיּ adhibet, quae, tradente *Buxtorfio* Patre in *Lex. Talmud.* & *Buxtorfio* Filio in *Lex. Chald. Syr.* itidem sinum notat, sensu videlicet eodem, quo Hebraeum פִּיּ sumi modo indicavimus. Non raro vero vox Hebraica פִּיּ, per Metonymiam Subiecti pro Adjuncto, eam vestis, laxioris praesertim & in sinum collectae, denotat partem, quae pectori proxima est. Ita manifeste accipitur, quando Moses manum suam sinui suo primum inferere, deinceps extractam inde, in eundem referre a Deo jubetur, ut manu lepra primo infecta, deinde ab eadem repurgata & ipse certior fieret, & populum Israeliticum certiozem redderet, se vere a Deo mistum, ut Israelitas e durissima servitute, qua ab *Aegyptiis* premebantur, seque in libertatem assereret. Nec ignotum elegantiarum literarum cultoribus, Latium

num SINUS eadem ab optimis auctoribus frequenter adhiberi significatione. Qui pluribus id expositum legendi cupidus est, adeat *Rubenum* Elect. Lib. I. cap. 17. aut *Ferrar.* de Re Vest. Lib. I. cap. 6. it. 39. *Ferrarius* quae habet cap. 6. ea *Hieron. Bossii* Commentario de Toga Romana Edit. Amstelodam. Ann. 1671. quoque adiecta sunt, ut, si cui ille ad manum non sit, ei ex hoc restringere sitim forsitan in promptu sit.

§. IV.

Sed ut e diverticulo in viam: non desunt quidem alia vocis פִּי significationes, verum eas in praesens non moramur, cum ad scopum nostrum perparum, aut nihil omnino conducant. Ex iis, quae dicenda restant, liquidissima luce apparebit liquidius, significationem sinus, sive vestis, sive corporis, vestis tamen praecipue, utramque in verbis nostris facere paginam. In hoc vero sinu suo tenellos agnos, רִיכִין, ut Chaldaeus Interpres, uberioris expositionis gratia non male adjecit, portaturus dicitur Messias, Verbum נֶשֶׁ, unde in tert. sing. masc. fut. kal נֶשֶׁ dicitur, inter alia non tantum portandi, gestandi, sed etiam tollendi, sustollendi gaudet significatu. Recte tamen *Aquila & Symmachus* portandi sensum praetulerunt, vertentes, ut paragr. I. hujus Sect. indicavimus *Basaei*. Neque enim alium in finem agniculos in sinum sustollit Pastor, nisi ut illos in eodem gester ac foveat. Ad eundem modum Chaldaeus Paraphrastes habet מִסִּיבֵר, in Particip. פִּי per ellipsin verbi Substant: pro Fut. יִסִּיבֵר, quod a סִבֵר inflexum in Forma Pahal, uti *Buxtorfus* junior in Lex. Chald. Syr. loquitur, portandi, ferendi &c. significationem obtinet Alluditur scilicet ad consuetudinem Pastorum, quibus recens ab ovibus caprisve editos foetus aut per atatem stare gressusve facere nondum valentes,

lentes, in sinu gestare solemni receptum fuit more. Imitabantur id aliquando, quibus simplex & innocua rusticorum vita in deliciis erat. Egregia hanc in rem sunt verba *Calpurnii* Eclog. V. quae *Mycon* inscribitur:

Te quoque non pudeat cum serus ovilia vifes,
Si qua jacebit ovis partu resoluta recenti,
Hanc humeris portare tuis, natosque tepenti
Ferre sinu tremulos, & nondum stare paratos.
Gemina his sunt germanaque, quae habet suavissimus
Poëta *Tibullus* Lib. I. Eleg. I.

Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem,
Aut stimulo tardos increpuisse boves.
Non agnamve sinu pigeat, foetumve capellae
Desertum, oblita matre, referre domum.

§. V.

Ex dictis ultro apparet, quisnam integrae phraseos *יש ובריקו* sit sensus. Gestant enim in sinu agriculos pastores, ut omni ope destitutos, nec sibi consulere valentes mollissime foveant, adversus injurias aëris & inclementiam cœli tueantur, ab aberrationibus & cespitationibus praeservent, & contra ferarum impetus tutos, convenienti cibo ac potu alant. ac sustentent, donec aetate & viribus auctiores ipsimet reliquam gregem affectari, pabulum quaerere, & pericula vitare discant. Indicatur, ergo, quanta cura, quanta diligentia, saluti vel infirmisimorum egregie suo sit invigilaturus fidelis ille & summus animarum pastor: quam tenero mentis affectu illos sit profecuturus, adeo ut illos velut in sinu, imo in pectore suo sit gestaturus, & blandissime fotos ac recreatos, sub umbraculo alarum suarum contra omnes injurias, contraque omnes assaultus tutos praestiturus, donec aetate

aetate & viribus robustiores facti, ipsimet certis insuefi-
ant niti gressibus, & pericula, quae circumstant, evita-
re ac effugere. Non abs re est, quod viri docti *Sinum* amo-
ris observant esse symbolum. Latini certe Graecique,
quos ex intima alicujus familiaritate esse significare vo-
lunt, e sinu, de sinu, *ἐκ τῶν κόλπων* illius esse affirmant, id
quod curiosis harum elegantiarum scrutatoribus jam pri-
dem observatum. Iidem, Latini praesertim, in sinu se
ferre dicunt, quos magno amore complectuntur, uti no-
tatum *Ferrario* in *Analect.* de *Re vestiar.* p. 145. Et quid
notius, quam parentes eos ex liberis, in quos ob teneram
aetatem majore feruntur benevolentia, in sinu gestare?
Aliquot de *Veneribus* loca notavit Summe Reverend. D.
Elsnerus ad *Joh. 1.* 18. Alia dabit *Erudiriff. Fesselius* *Advers.*
Sacr. Lib. IV. cap. 9. Ad eundem modum is, qui ipse in
sinu Patris est, eos, quorum non tantum pastor, sed &
pater est, juxta *Esaiæ* VIII. LIII. Pf. CX. fide & viribus non-
dum satis corroboratos, ceu maximas suas delicias, qui-
buscum lufitare, quibus se oblectare ipsi summae est vo-
luptati, in sinu suo gestaturus erat.


§ VI.

Atque ita summus ille pastor eos, qui in societatem
pastoralis muneris aliquandò ab ipso allegendi essent, suo
docturus erat exemplo, qua cura, qua pietate, qua hu-
manitate in fide & sanctioris vitae studio nondum satis
confirmatos excipi, tractarique ab ipsis oporteret. Mihi
certe, qui imbecilliori aetati regendae juxta cum aliis
praefectus sum, quae, ut sub finem paragr. 7. Sect. I. jam
subindicavi, duplici de causa agnorum pingi meretur fi-
gura, & quod ab annis aliis rebus minus recte sapit, &
quod in verbo justitiae sensus habet non satis exercitatos:
mihi, inquam, jucundum admodum fuit divinum hoc
oracu-

oraculum, rudiori licet Minerva, pertractanti subinde, quid mei, quid eorum, qui eodem mecum funguntur munere, esset officii, ad animum revocare. Quod qua fide, qua integritate a nobis praestitum & impletum sit, luculenta omnibus, quibus volupe, quibusve tantum ab re sua erit otii, cognoscendi vel nunc offertur occasio.

Jussu enim & auctoritate Excell. Scholae Reg. Frid. Curatorum examen solemne indicendum est. Cujus primordia d. XXIV. Sept. faciet JACOBUS MERCIER Biala-Lithuan. Oratione in laudem sacrae Scripturae. d. XXV. ejusd. JOH. CON. a BERGEN Liebenig. Francof. *ethnicorum Auctorum usum illicitum esse demonstrare tentabit. Contrarium vero evincet NIC. SIEGFR. RIVE Francof-March. CHRIST. GOTTLIEB. GUILLEMIN Hernstad-Siles. urbis Trojae exitium. proponet. ADOLPH. FRID. RAUTE Francof. March. factum Zopyri, quod in Justini Lib. I. cap. ult. legitur vituperabit. Denique FRID. SIGISM. BION or. de justissima Israelitarum Aegyptiorum vasorum abductione coronidem imponet, ac A. A. H. H. gratiasaget. Cui actui oratorio, ut & examinibus primae & sequentium Classium, ut Magnif. Univ. Rect. Excell. Curatores Patres Academiae Conscripti, & cujuscunque Ordinis atque Dignitatis Optimarum Literarum Patroni & Fautores interesse dignentur, nostrisque conatibus faveant submisse atque observanter rogo. Scribebam Traject. ad Viadr. d. XXIII. Sept.*

A. MDCCXXXVI.



Fd 5611

ULB Halle
002 715 18X

3





7730C

VD 17

NC







Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

EXERCITATIONIS PHILOLOGICÆ
DE
**MESSIA, AGNELLOS
IN BRACHIUM SUUM CON-
GREGATURO, INQUE
SINU SUO GESTATURO**
AD ILLUSTRATIONEM.

ESAIÆ XL. V II.

SECT. III.

QUA
AD

EXAMEN PUBLICUM

d. XXIV. SEPT: INCHOANDUM,
HUMANISSIME INVITAT

HERMANNUS BEISMANN,

Schol. Reg. Frideric. Rector.

ba

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Typis SIGISMUNDI GABRIEL. ALEX.

